TRACTATUS MARINUS

INTER

Sereniſſimum & Potentiſſimum *Principem*

CAROLUM II.

Dei Gratiâ *Angliæ*, *Scotiæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Regem, Fidei Defenſorem, &c.

ET

Sereniſſimum ac Potentiſſimum *Principem*

LUDOVICUM XIV.

Regem Chriſtianiſſimum.

Concluſus apud *Sancti Germani* Fanum in *Laya*, Decima quarta Die *Februarii*, $167\frac{6}{7}$.

LONDINI,

Excuderunt Aſſignati *Johannis Bill* & *Chriſtopheri Barker*, Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati à Typis, 1677.

CUM PRIVILEGIO.

Artic. I.

Omnibus & ſingulis Subditis Sereniſſimi ac Potentiſſimi Domini Domini *Magnæ Britanniæ* Regis antememorati, licitum & jus eſto cum omnimodâ libertate & ſecuritate Navigare, Negotiari, & Mercaturam quamlibet facere, in omnibus iis Regnis, Regionibus, & Statibus, quibus Pax, Amicitia, aut Neutralitas cum Præfato Domino Rege nunc ſubſiſtit, aut ullo dehinc tempore interceſſura eſt; Ità ut nec vi Militum Armatâ, nec Navibus Bellicis, aliíſve cujuſcunque generis Navigiis, ſive ad Sereniſſimum Regem Chriſtianiſſimum, ſivè ad illius Subditos ſpectantibus, Occaſione vel Prætextu hoſtilitatis vel diſcordiæ

alicujus, quæ inter Præfatum Serenisſimum Regem Chriſtianisſimum, & Principes aut Populos quoſcunque, Pacem aut Neutralitatem cum Memorato Domino Rege *Magnæ Britanniæ* colentes, jam flagrat, aut in poſterum exarſerit, in Navigationibus aut Commerciis ſuis ullatenus impedientur, aut moleſtiâ aliquâ afficientur: Pari itidem ratione, Omnibus & ſingulis Subditis præmemorati Domini Regis Chriſtianiſſimi, Licitum & Jus eſto, cum omnimodâ libertate & ſecuritate, Navigare, Negotiari, & Mercaturam quamlibet facere in omnibus iis Regnis, Regionibus & Statibus, quibus Pax, Amicitia, aut Neutralitas cum Præfato Domino Rege Chriſtianiſſimo nunc ſubſiſtit, aut ullo dehinc tempore interceſſura eſt; Ità ut nec vi Militum Armatâ, nec Navibus Bellicis, aliíſve cujuſcunque generis Navigiis, ſive ad Sereniſſimum Dominum Regem *Magnæ Britanniæ*, ſive ad Ejus Subditos ſpectantibus, Occaſione vel Prætextu hoſtilitatis vel diſcordiæ alicujus, quæ inter Præfatum Dominum Regem *Magnæ Britanniæ*, & Principes aut Populos quoſcunque, Pacem

cem aut Neutralitatem cum Memorato Domino Rege Chriſtianiſſimo colentes, jam flagrat, aut in poſterum exarſerit, in Navigationibus aut Commerciis ſuis ullatenus impedientur, aut moleſtiâ aliquâ afficientur.

II.

Neque illa Navigandi & Commercandi libertas, Occaſione vel Causâ ullius Belli infringetur in ullis Mercimoniorum generibus, ſed ad omnes Merces quæ in Pace ſubvehuntur, ſe extendet; Exceptis ſolùm iis quæ Articulo proximo ſequuntur, & *Contrabandæ* nomine indigitantur.

III.

Sub iſto nomine *Contrabandæ*, ſeu Mercimoniorum prohibitorum, ſolummodò comprehendentur Arma, Tormenta majora cum ſuis igniariis & aliis ad ea pertinentibus, Ignes Miſſiles, Pulvis Tormentarius, Fomites, Globi, Cuſpides, Enſes, Lanceæ, Haſtæ, Bipennes, Bombardæ, Tubi Catapultarii (vulgò Mortaria) Inductiles Sclopi (vulgò Petardæ) glandes igniarii Miſſiles (vulgò Granadæ) furcæ Sclopetariæ, Bandeliers, Salpetræ, Sclopeti,

peti, globuli, ſeu pilæ quæ Sclopetis jaculantur, Caſſides, Galeæ, Thoraces Loricati, (vulgò *Cuiraſſes*) & ſimilia Armaturæ genera, Milites, Equi, & omnia ad inſtruendos equos neceſſaria, Sclopethecæ, Balthei, & quæcunque alia Bellica inſtrumenta.

IV.

Inter bona Prohibita haudquaquam cenſebuntur hæc quæ ſequuntur Mercimonia: Omnes ſcilicet Pannorum ſpecies, omneſque aliæ Manufacturæ textæ ex quâcunque Lanâ, Lino, Serico, Goſſipio, vel aliâ quâcunque materiâ; Omnia veſtium & Indumentorum genera, unà cum ſpeciebus ex quibus conſici ſolent; Aurum & Argentum tàm Signatum quàm non ſignatum; Stannum, Ferrum, Plumbum, Cuprum, & Carbones focarii; Triticum etiàm & Hordeum, & aliud quodcunq; Frumenti vel Leguminis genus, Herba Nicotiana, (vulgò *Tobacco*) nec non omne genus Aromatum; Carnes ſalitæ & fumo duratæ, Piſces ſaliti, & arefacti, Caſeus & Butyrum, Cerviſia, Olea, Vina, Sacchara, & omne genus Salis; Necnon omnis generatim

tim annona, quæ ad victum hominum & vitæ ſuſtentationem facit: Goſſipii porrò, Cannabis, Lini, & Picis omne genus, Funes, Vela & Anchoræ, Mali item Navales, ut & Aſſeres, Tabulæ & Trabes ex quibuſcunque arboribus, omniáque alia ad Naves ſeu Conſtruendas, ſeu Reficiendas comparata, quin planè inter Mercimonia Libera cenſebuntur, juxtà atque aliæ quælibet Merces, & res quæ in Articulo proximè præcedenti non comprehenduntur: Ità ut à Subditis Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ*, non ſolùm ab eo loco ubi ſubſiſtit Neutralitas, ad alium Locum ubi dicta Neutralitas viget; vel à Portu locóve ubi viget Neutralitas, ad locum Sereniſſimo Regi Chriſtianiſſimo inimicum; vel demùm à loco eidem Regi inimico ad alium Locum ubi Neutralitas obſervatur; verùm etiam à loco præfati Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi hoſtibus obtemperante, ad alium itidèm Portum Locúmve ſub ditione ejuſdem Sereniſſimi Regis hoſtium, liberè Tranſportari & Invehi poſſint: Sive tales Portus locáve ſub Imperio ſint ejuſdem Principis aut Statûs, ſive ſub Imperio plu-

rium.

rium Principum aut Statuum, Quocum vel Quibuſcum Sereniſſimo Regi Chriſtianiſſimo Bellum eſſe contigerit : Et vice versâ, ut eædem Merces & res à Subditis Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi non ſolùm ab eo loco ubi ſubſiſtit Neutralitas, ad alium locum ubi dicta Neutralitas viget, vel à Portu locóve ubi viget Neutralitas, ad locum Sereniſſimo Regi *Magnæ Britanniæ* inimicum, vel à loco eidem Regi inimico ad alium locum ubi obſervatur Neutralitas ; verùm etiam à loco hoſtibus dicti Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ* obtemperante ad alium itidem Portum locúmve ſub ditione ejuſdem Sereniſsimi Regis hoſtium, liberè Tranſportari poſsint : Sive tales Portus locáve ſub imperio ſint ejuſdem Principis aut Statûs, ſive ſub imperio plurium Principum aut Statuum, Quôcum vel Quibuſcum Sereniſsimo Regi *Magnæ Britanniæ* Bellum eſſe contigerit : Exceptis duntaxàt Oppidis locíſve obſidione cinctis, circumſeptis vel inveſtitis (Gallicè *blocquees*, ou *inveſties*.)

V. Quò

V.

Quò in posterum Discordiæ & Simultates omnimodæ hinc indè per Mare & per Terram juxtà cessent ac penitùs extinguantur, Conventum est, Quòd Naves & Navigia omne genus, ad Subditos Domini Regis *Magnæ Britanniæ* spectantia, quæ Stationem aut Portum aliquem Domino Regi Christianissimo obtemperantem ingressa vel ingressura sunt, & alioversùm pergere volentia, solummodò Literas Commeatûs, vulgò Literas Maritimas dictas, (quarum Formula Articulis hisce subnectitur) Officialibus in Portubus Domini Regis Christianissimi agentibus, aut siquas naves ejusdem Domini Regis Præsidiarias, aut alias sumptibus Privatis ad bellum instructas ibi versari contigerit, earundem Præfectis exhibere tenebuntur; neque sub eo Prætextu, quicquam ab iis pecuniæ, vel alterius rei exigetur: Sin autèm in alto Mari aut alibi locorum, quæ non sunt intra Prædicti Serenissimi Regis Christianissimi Dominia, Navibus Bellicis dicti Serenissimi Regis, aut Navibus sumptibus Privatis

vatis Subditorum ſuorum ad Bellum inſtructis, obviàm dederit Navis aliqua ad Subditos Serenisſimi Regis *Magnæ Britanniæ* ſpectans, dictæ Naves Serenisſimi Regis Chriſtianisſimi, interjectâ idoneâ Diſtantiâ, ſubſiſtent, & Scapham ſuam ſolùm expedient; Licitúmque iis erit cum duobus, tribúſve duntaxat hominibus, Serenisſimi Regis *Magnæ Britanniæ* Subditorum Naves & Navigia Conſcendere, ut ſibi à Præfecto ſive Magiſtro talis Navis aut Navigii ad Noviſſimè Memorati Domini Regis Subditos ſpectantis, Literæ Maritimæ de Proprietate ejuſdem, juxta Formulam inferiùs deſcriptam, exhibeantur; & Navi quæ eas exhibuerit, Liber erit tranſitus; Eandémque moleſtiâ aliquâ afficere, excutere, detinere, aut de curſu deſtinato ut deflectat, cogere, Nefas eſto: Eâdem etiam in omnibus Libertate & Immunitate fruantur omnes Subditi Serenisſimi Regis Chriſtianisſimi, Ipſis pariter Literas Commeatûs, vulgò Literas Maritimas ſuas exhibentibus, juxta Formolam in calce hujus Tractatûs præſcriptam, conceptas.

VI. Quod

VI.

Quod ſi Navi alicui, vel Navigio ad Anglos, vel alios Subditos Regiæ Majeſtatis *Magnæ Britanniæ* ſpectanti, verùm ad Portum aliquem Regiæ Majeſtati Chriſtianiſſimæ inimicum tendenti, aut etiàm vice verſâ, Navi alicui ad Serenisſimum Regem Chriſtianisſimum, vel alios ejuſdem Serenisſimi Regis Subditos ſpectanti, Portum aliquem Serenisſimi Regis *Magnæ Britanniæ* Hoſtibus Obtemperantem petenti, in curſu ſuo Navis aliqua Bellica obviam fit, Navis illa non tantùm Literas Commeatûs vulgò Literas Maritimas (quibus juxta Formulam inferiùs præſcriptam, muniendæ eſt) verùm etiàm Literas Certificatorias, exprimentes rerum ſubvectarum Indices, à Teloniorum inſpectoribus in Portu unde ſolverat, ſub Formâ Conſuetâ datas, exhibebit; vndè dignoſci queat, an Mercimoniis aliquibus Articulo hujus Tractatûs tertio Prohibitis oneretur.

VII.

Quòd si per exhibitionem, supradictarum Literarum Certificatoriarum, exprimentium rerum subvectarum Indices à Teloniorum inspectoribus in Portu undè solverat, sub Formâ consuetâ datarum, de quarum exhibitione superiùs Conventum est, altera Pars deprehenderit aliqua id genus Mercimonia, quæ *Contrabandæ*, seu Prohibita esse in tertio hujus Tractatûs Articulo declarantur, ad Portum alterius hostibus obtemperantem destinata, foros illius Navis in quâ ea reperiri contigerit, sive ad Subditos Domini Regis *Magnæ Britanniæ*, sive ad Domini Regis Christianissimi Subditos spectaverit, resignare Cistas, Capsas, Sarcinas aut Vasa in eâdem reserare, vel disrumpere, vel partem licèt minimam Mercimoniorum distrahere, nisi toto priùs onere, præsentibus Tribunalis Maritimi Officialibus in terram exposito, & in Inventarium redacto, Nefas esto; Neque Venditioni eorum, Permutationi, aut Alienationi qualicunque ullatenùs locus erit, nisi postquàm Ritè & Legitimè contra istiusmodi bona Prohibita Processum fuerit,

fuerit, eadémque rerum Maritimarum Judices latâ sententiâ fisco respectivè suo addixerint; Salvâ semper tàm ipsâ Navi, quàm cæteris Mercibus in eâdem repertis, quæ ex hoc Tractatu Liberæ censendæ sunt, nè ex Prætenso Mercium Prohibitarum contagio detineri, nedùm pro Prædâ legitimâ Confiscari possint: Sin autèm non totum, sed pars oneris duntaxàt, ex Mercibus Prohibitis, vel *Contrabandis* constiterit, eásque Præfectus Navis Captori qui eas deprehenderit, extradere se promptùm ac paratum præstet, in eo casu Captor, Navem ut ad Portum sibi commodum deflectat, haud coget, quin illicò dimittet, neque ullâ ratione impediet, quo minùs cursum quem instituerat, libere prosequatur.

VIII.

Conventum porrò est; Quòd quicquid à Subditis Regiæ Majestatis *Magnæ Britanniæ* in Navem quamcunque ad Hostes Regiæ Majestatis Christianissimæ Pertinentem, impositum esse, deprehendetur, quamvis de genere Mercium Prohibitarum non sit, totum id Fisco addici

posit;

possit; Caeterùm è contra, pro Immuni atque Libero habebitur omne id quod in Navibus ad Subditos Regiæ Majestatis *Magnæ Britanniæ* spectantibus immissum deprehendetur, etiamsi totum oneris, vel ejusdem pars aliqua ad hostes Regiæ Majestatis Christianissimæ justo Proprietatis titulo pertinuerit; Exceptis semper Mercibus *Contrabandis*, quibus interceptis, omnia ex Articulorum præcedentium mente & Præscripto fient: Pari itidem ratione, quicquid à Subditis Domini Regis Christianissimi in Navem quamcunque ad hostes Domini Regis *Magnæ Britanniæ* pertinentem, impositum esse deprehendetur, quamvis de genere Mercium Prohibitarum non sit, totum id fisco addici potest; Caeterùm è contrà, omne id quod Navibus ad Subditos dicti Domini Regis Christianissimi spectantibus immissum deprehendetur, pro Immuni atque Libero habebitur, etiamsi totum oneris, vel ejusdem pars aliqua ad hostes dicti Domini Regis *Magnæ Britanniæ* justo Proprietatis titulo pertinuerit; Exceptis semper Mercibus *Contrabandis*, quibus interceptis, omnia ex Articulorum

culorum præcedentium mente & Præscripto fient. Ne quid autem detrimenti alteri parti in Pace versanti, ubi altera pars fortè in Bellum proruperit, ex improviso adferatur, Provisum & Cautum est, Quòd Navis ad hostes alterutrius Partis spectans, bonis Subditorum alterius onerata, eadem Confiscationi contagio suo non reddet obnoxia, modò imposita fuerint ante expirationem Terminorum & Dierum hic inferius Præscriptarum, post belli cujusvis Denunciationem seu Declarationem: *Videlicet*, si bona imposita fuerint in aliquo Portu vel Loco inter Terminum vel Locum *The Soundings* vocatum, & Terminum qui *Naz* dicitur in *Norvegia*, intra spatium sex Septimanarum post talem Declarationem; Duorum Mensium inter dictum Terminum *The Soundings*, & Civitatem *Tingitanam*, & Decem septimanarum in Mari *Mediterraneo*, vel intra spatium Octo Mensium in quâvis aliâ orbis Regione vel loco; Bona igitur Subditorum Serenissimi Regis *Magnæ Britanniæ* in quâcunque Navi vel Navigio cujuscunque, qui Serenissimo Regi Christianissimo hostis fuerit, capta aut deprehensa,

eo

eo ſub Prætextu Confiſcare non licebit : Sed ſine dilatione Proprietariis reſtituentur, niſi impoſita fuerint poſt dictorum terminorum temporis reſpectivè expirationem ; Ità tamen ut poſtmodùm iis licitum non ſit dicta Mercimonia, quæ *Contrabandæ* dicuntur, atque ob dictam cauſam Confiſcationi obnoxia non erunt, ad Portus inimicos advehere : Bona etiam Subditorum Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi (vice versâ) in Nave vel Navigio cujuſcunque qui Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ* hoſtis fuerit, capta aut deprehenſa, eo ſub Prætextu Fiſco addicere Nefas itidem eſto, ſed ſine morâ Proprietariis reſtituentur, niſi poſt dictorum terminorum temporis reſpectivè expirationem impoſita fuerint ; Ita tamen ut poſtmodùm iis licitum non ſit, dicta Mercimonia, quæ *Contrabandæ* dicuntur, atque ob dictam cauſam Confiſcationi obnoxia non erunt, ad Portus inimicos advehere.

IX.

Et quò Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ*, Sereniſſimi item Regis Chriſtianiſſimi

simi Subditorum Securitati abundantiùs cautum sit, quòd nulla injuria per alterutrius Partis Naves Bellicas, vel alias sumptibus Privatis ad Bellum instructas iis inferetur, Omnibus tàm Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ* quàm Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Navium Præfectis, omnibuſque eorum Subditis, qui ſuis impenſis Naves inſtruent, ut & Privilegiatis hinc indè Communitatibus, omni in alteram partem injuriâ & damno quocunque interdicetur: Sin ſecùs facaint, pænas luent, & prætereà obſtricti erunt de Damno cum omni causâ, & eo quod intereſt ſatisfacere, per reparationem & reſtitutionem ſub Obligatione & nexu Perſonæ, Bonorumque.

X.

Ob hanc cauſam ſinguli Navium ſumptibus privatis ad Bellum inſtructarum Præfecti antequàm Diplomata ſive Commiſſiones ſuas ſpeciales recipient, ſufficientem fiduciariam Cautionem per viros idoneos, qui ſolvendo ſunt, & in tali Navi partem vel intereſſe non habentes, coràm Judice competente interponere in poſterum tenebuntur,

in Summâ Mille quingentarum Librarum Sterlingarum, ſive ſedecim millium & quingentorum Florenorum (vulgò *Livres*) Et quotiès centum & quinquaginta numero excedent homines, in Summâ ter Mille Librarum Sterlingarum, ſive triginta & trium Millium Florenorum, Se damnis & injuriis quibuſcunque quas ſuo curſu Navali, ipſi vel ſui Officiales, aliivé ſibi inſervientes, contra Præſentem hunc Tractatum vel alium quemcunque inter Sereniſſimum Regem *Magnæ Britanniæ*, & Serenisſimum Regem Chriſtianisſimum, committant, in ſolidum ſatisfacturos, ſub pænâ etiam revocationis, & caſſationis Literarum Commiſſionalium ſpecialium ac Diplomatum, in quibus ſempèr inſeretur, talem Cautionem ab ipſis (ut præfertur) interpoſitam fuiſſe; Et inſupèr Conventum eſt, Quòd Navis etiam ipſa, damnis & injuriis à ſe illatis, ſatisfacere tenebitur.

XI.

Serenisſimus Rex *Magnæ Britanniæ*, dictúſque Serenisſimus Rex Chriſtianiſſimus ſummoperè cupientes ut alterutrius Subditi eâdem

dem omninò humanitate ac favore ac proprii Ipsorum Subditi, in omnibus Ipsorum respectivè ditionibus, accipiantur & tractentur, quæ necessaria fuerint simul & efficacia dabunt mandata, ut jus super Navibus & Mercimoniis in Mari captis administretur, secundùm Justitiæ & Æquitatis normam, à Judicibus omni suspicione Majoribus, & quorum, in causâ quæ disceptatur, nullatenùs intererit. Et Sereniſſimus Rex *Magnæ Britanniæ*, itémque Sereniſſimus Rex Chriſtianiſſimus ſtrictè dabit in Mandatis, ut Sententiæ quæ jam latæ ſunt quæve in posterum ferentur, Executioni (juxtà earum Tenorem) debitè mandentur, ſuúmque ſortiantur effectum.

XII.

Quandocunque Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ* Legati, aliíve Miniſtri in aulâ Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi commorantes & publicâ Authoritate Muniti, querentur de iniquitate Sententiarum quæ latæ fuerint ſuper Navibus & Mercimoniis in Mari captis & ad Subditos Serenisſimi Regis *Magnæ Britanniæ* ſpectantibus, tùm ſupra

memoratus Sereniſſimus Rex Chriſtianiſſimus, ad requiſitionem dictorum Legatorum vel Miniſtrorum Sereniſſimi *Magnæ Britanniæ* Regis, eaſdem ſententias in *Concilio* ſuo Privato revideri & ad examen revocari curabit, & ſententias ubicunque latas vel confirmabit vel reſcindet. Itémque curabit Præfatus Rex Chriſtianiſſimus ut jus reddatur parti querelam exhibenti intra ſpacium quatuor Menſium à Die requiſitionis factæ numerandorum. Vice versâ, ſi Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Legati vel alii Miniſtri publicâ Authoritate muniti in Aulâ Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ* Commorantes, querentur de iniquitate Sententiarum quæ latæ fuerint ſuper Navibus vel Mercimoniis in Mari captis, ad Subditos dicti Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi ſpectantibus, dictus Sereniſſimus Rex *Magnæ Britanniæ* illicò Novem è Conſiliariis ſuis Sanctioris Conſilii, Commiſſarios conſtituet, Diplomate Magno ſuo ſigillo corroborato muniendos, qui res iſtas judicabunt, & vel confirmabunt vel reſcindent Sententias ubicunque latas; dictique Commiſſarii convenient intra ſpacium unius Menſis à die querelæ exhibitæ

bitæ. Itémque curabit Serenisfimus Rex *Magnæ Britanniæ* ut jus reddatur parti querelam exhibenti intra ſpacium trium Menſium à primo die Conventûs dictorum Commiſſariorum computandorum.

XIII.

Lite motâ inter Prædarum Captores ex unâ, & earundem Reclamatores ex alterâ Parte, latâque Sententiâ vel Decreto pro Parte Reclamante, eadem Sententia ſive Decretum (interpoſitâ Cautione) Executioni mandabitur, Captoris ad aliud Tribunal provocatione nullatenùs obſtante; quod tamen non obſervabitur, ubi Sententia Lata fuerit contra Reclamatores.

XIV.

Cum autèm Magiſtri Navium Mercatoriarum, ut & Nautæ & Vectores multa atrocia & Barbariem ipſam Spirantia nonnunquàm perpetiantur, ubi in Navium (Prædas tempore belli per Mare facientium) Poteſtatem redacti ſunt, Captoribus more inhumano in illos ſævientibus, quò Confeſſionem qualem illi factam vellent, ab iis extorqueant,

extorqueant, Conventum eſt, Quòd tum Sereniſſimus Rex *Magnæ Britanniæ*, tum Sereniſſimus Rex Chriſtianiſſimus, Edictis in publicum emiſſis omnes iſtiuſmodi offenſas & flagitia prorſùs inhumana quàm ſeveriſſimè prohibebunt, & quotquot Legitimis probationibus talium factorum convictos offenderint, debitis & juſtis pœnis, & quæ in Terrorem ſufficiant, in eos animadverti curabunt; Omneſque Navium Præfectos & Officiales, per quos hujuſmodi flagitia admiſſa fuiſſe probabitur, vel proprio ipſorum actu, vel alios ad ea perpetranda inſtigando, vel connivendo dum perpetrantur, præter alia ſupplicia iis pro modo delictorum infligenda, à munere quemque ſuo ſtatim amoveri jubebunt, & quælibet Navis in Prædam abducta, ubi Nautæ aut Vectores torturam aliquam perpeſſi fuerint, illicò dimittetur, & ab omni ulteriore excuſſione aut impetitione tàm judiciali quàm extrà, cum toto onere ſuo Liberabitur.

XV.

Conventum itidèm eſt, Quòd ſimilis pœnarum Severitas Statuetur in eos, qui Commiſ-

Commissiones ab hostibus capient ad deprædandas alterutrius Fœderati Partisve Naves.

XVI.

Conventum denique & Concluſum est, Quòd præsens Tractatus, omniáque & singula in eo contenta, quàm maturè fieri poterit, hinc indè Ratihabebuntur & Confirmabuntur; Quódque Ratificationes desuper habitæ intra duos menses à Datâ Præsentium, Reciprocè Ritéque inter ambas Partes permutabuntur.

Datum apud Sancti *Germani Fanum in Laya*, die Vigesimâ quartâ Mensis *Februarii*, Anno reparatæ salutis Millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo.

Formula

5/71
0/81
17 C.4

Formula Literarum Commeatus, (vulgo Literarum Maritimarum) petendarum, dandarumque a Domino Domino Magno Admirallo seu Archithalasso, vel ab iis quibus rerum Maritimarum Jurisdictio jure Ordinario mandata est, sive a Prætore, vel alio summo Magistratu, sive a Commissariis aliisve Principalibus Officialibus Teloniorum in Portubus suis respectivis & Locis intra Dominia Serenissimi Domini Regis *Magnæ Britanniæ*, Navibus & Navigiis secundum Articuli Quinti dispositionem.

Omnibus ad quos præsentes Literæ pervenerint, Salutem. Nos Archithalassus Nos Commissarii Magni Admiralli Officio fungentes sive Nos Prætor vel Magistratus sive Nos Commissarii sive Principales Teloniorum Officiales in Civitate vel Portu Testatum & Notum facimus Magistrum sive Præfectum Navis vocatæ coram nobis comparuisse, & Solenni jurejurando affirmasse, dictam Navem vel Navigium Mensurarum (quas vulgo Tonns *vocant) plus minus (cujus ille hoc tempore Magister sive Præpositus est) pertinere ad Incolas intra Dominia Serenissimi & Potentissimi Domini Domini Regis* Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ, *Fidei Defensoris*, &c. *Ita eum Deus adjuvet: Cum autem acceptissimum Nobis foret, prædictum Magistrum seu Præpositum, in iis quæ probe justeque ab eo agenda erunt, adjuvari; Rogamus* Vos *universos & singulos, ubicunque dictus Magister seu Præpositus Navem Merceasque in ea invectas & illatas appellet, Velitis, Jubeatis eum benigne recipi, humaniter tractari, sub Legitimorum, consuetorumque Vectigalium, ac aliarum rerum solutione admitti, ingredi, manere, egredi Portus, Flumina & Dominia vestra, & omnimodo Navigationis, Mercatus, Commerciorum ac Promercalium Jure specieque uti, Omnibus in locis quibus hoc ei melius rectius visum fuerit: grato animo id rependere vobis paratissimi semper promptissimique: In quorum majorem Fidem & Testimonium, Præsentes Manu Nostra Signavimus & Sigillo Nostro communiri curavimus: Dat. in die Anno Domini*

Similis quoque sit Formula Literarum Commeatus (mutatis mutandis) quibus munientur subditi Serenissimi Domini Regis Christianissimi.

FINIS.

431713